

**Dissertatio medica inauguralis, de cynanche maligna ... / Eruditorum
examini subjicit Jacobus Thomson Murray.**

Contributors

Murray, James Thomson.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Gulielmus Creech, 1793.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ykgvb324>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE MALIGNA.

1831

1

DISSERTATIO MEDICA

IN OBSTETRICIS

DE

CYRANOCHE MALIGNA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE
CYNANCHE MALIGNA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS THOMSON MURRAY,

HIBERNUS,

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO.
TYPIS GULIELMI CREECH.
M DCC XCIII.

DISSERTATIO MEDICA

IN AURICULA

CYANOCHE MALIGNA

DE

AVRIL 1844

EX ACADEMIA MEDICA

D. GEORGI HARTD. S. P. B.

ACADEMIAE MEDICAE

PRAGAE

ACADEMIAE MEDICAE

PRO GRADU DOCTORIS

PRO GRADU DOCTORIS

ACADEMIAE MEDICAE

PRAGAE

ACADEMIAE MEDICAE

JANUARI 1844

PRAGAE

ACADEMIAE MEDICAE

ACADEMIAE MEDICAE

PRAGAE

ACADEMIAE MEDICAE

PRAGAE

VIRO EXIMIO,

J A C O B O S T E W A R T,

De KILLYMOON,

In Comitatu TYRONIENSI,

Armigero ;

In Curia Hiberniae

Senatori integerrimo ;

Propter multa in se suosque collata beneficia,

Hanc Differtationem,

Exiguum quidem sed sincerum,

Animi haud ingrati

Monumentum

D. D. D.

A U C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE MALIGNA.

=====
AUCTORE J. T. MURRAY.
=====

DEFINITIO.

“ PYREXIA contagiosa, tonsillas, et mem-
“ branam faucium mucosam afficiens, tumore,
“ rubore, et crustis mucosis coloris albescentis
“ vel cineritii, serpentibus, et ulcera tegenti-
“ bus, cum febre typhode, et exanthematis.”

HISTORIA MORBI.

CYNANCHE Maligna fere semper epidemica est, et in autumno plerumque grassatur. Omnes aetates, sexus, et temperamenta adoritur; sed ei magis obnoxii sunt juniores quam seniores, mulieres quam viri, debiles et laxi quam fortes et robusti.

Hujus morbi accessionem plerumque horror, et frigoris sensus, cum calore alternantes; debilitas, anorexia, nausea, et alia pyrexiae signa comitantur. Interdum colli rigiditas, capitis dolor acutus, sensus molestiae, et quasi angustiae in faucibus internis, raucedo, nonnunquam tussis, prima sunt symptomata. Vomitus, et in infantibus praesertim, diarrhoea, at ipso morbi initio saepe adsunt. Facies nonnunquam pallefcit, sed saepius rubore et intumescencia

mescentia afficitur. Oculi aliquando splendentes, et intense rubri, aliquando aquosi, et concavi, eodemque tempore inflammati apparent.

Hoc circiter tempore, fauces inspectae intus alte rubent, et aliquando, raro multum tument. Mox maculae albescentes vel cineritiae in membranam faucium mucosam conspiciuntur. Hae celeriter crescentes, brevi tempore tonsillas, uvulam, et partes circumjacentes fere omnino tegunt, et crustas formant, subter quas ulcera ejusdem latitudinis, et plerumque mali moris, inveniuntur.

Arteriarum ictus, ab initio usque, fere semper parvi,* debiles et frequentes, aliquando abnormes sunt. Urina saepius cruda est, et pallida; nonnunquam in adultis, fero lactis persimilis evadit. Alvus aliquando aperta, in adultis saepius durefcit.

Aegrotus

Aegrotus saepius cibum cujusque generis non solum non appetit, sed penitus adverstatur. In quibusdam tamen exemplis, cibi appetitus haud multum laeditur. Sitis minus urget, quam in plerisque aliis pyrexiiis; et si instat, quamvis deglutitio tumore tonsillarum, vix unquam multum laedatur, ob nauseam quam movet vel auget, potum aeger raro poscit.

Lingua dorso et apice humida est, sed ad radicem et latera sordibus flavis, fuscis vel aliquando fere nigris tegitur.

Membrana Schneideriana saepius inflammatione afficitur, et coryzam foetidam et acrem, nares et labia erodentem secernit. Eodem tempore dejectiones crebrae, infantibus praecipue accidunt, quibus humor acris et tenuis ex ano effluit, hunc, et ei vicina erodens. Ichor foetidus ex auribus aliquando affunditur
etiam

etiam dicitur. Halitus, odorem ingratum, ipsi aegroti nauseosum, habet; et nonnulli hoc symptomate afficiuntur, priusquam maculae vel ulcera in faucibus apparent.

Omnia pyrexiae signa vesperi ingravescent, et mane versus levantur. Hae accessiones vespertinae, per totum morbi decursum, notabiles sunt; et levamen matutinum, ut in febribus intermittentibus, eruptio sudoris ut plurimum antecedit.

Non raro aegrotus delirio afficitur; hoc tamen adeo leve est, ut ad quaesita satis distincte, sed solito expeditius, respondeat. Aliquando coma supervenit.

Die a morbi accessione, secundo, tertio, vel quarto, efflorescentiae, coloris subrubri, aliquando ad purpureum appropinquantis, in collum, pectus, et faciem conspiciuntur; quaeque

6 DE CYNANCHE MALIGNA.

quaeque crescentes, totum corpus et extremitates brevi tempore obducunt: digiti quoque tumore, et rigiditate afficiuntur.

Eruptionis hujusce duratio admodum incerta est; sed quatuor diebus fere semper evanescit, cum cuticulae desquamatione. Aliquando pyrexia et faucium affectio eodem tempore levantur; arteriarum ictus, tardiores, firmiores, et minus abnormes evadunt; aegrotus sine perturbatione dormire incipit; cibi appetitus redit; et respiratio mollis, reditum valetudinis et virium indicat.

Saepe symptomata omnia graviora manent, praeter vomitum et diarrhoeam, quae tunc temporis, in adultis praesertim, plerumque cessant; arteriarum ictus, tam celeres et abnormes fiunt, ut vix notari possint. Haemorrhagiae e naribus et gingivis, aliquando per totum morbi decursum, hoc sub tempore
potissimum

DE CYNANCHE MALIGNA. 7

potissimum, profunduntur. Nonnunquam absorptione ichoris, glandulae colli lymphaticae tumescunt; et in quibusdam exemplis, collum, pectus, et brachia, tumore oedematoso afficiuntur. Respirationis organa progressu inflammationis non raro laeduntur. Ichor faucium, etiam, in ventriculum et intestina receptus, signa ulcerationis, dejectionibus violentis stipata, edit. Debilitas nunc eo usque intenditur, ut aegrotus sine luctamine fato concedat.

Haec symptomata, diversis annis, tempestatibus, et hominibus multum variant, et raro omnia in eodem aegro occurrunt. Aliquando eruptio et pyrexia, sine ulla faucium affectione notabili, conspiciuntur; in aliis exemplis efflorescentia scarlatina omnino deest. Putat cel. noster GREGORY, hanc varietatem a textura cuticulae praecipue pendere.

Terminatio

8 DE CYNANCHE MALIGNA.

Terminatio hujus morbi infausta, saepe tertio, vix aut ne vix quidem, post septimum diem occurrit. Quando finem felicem habiturus fit, circa quartum, quintumve diem cedere incipit. Violentior plerumque est, quando primum epidemicus grassetur, postea mitior fit, donec demum, eum nihil fere periculi comitetur.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS cynanchen malignam inter et cynanchen tonsillarem, a sequentibus plane apparet.

Infantes, mulieres, debiles, et valetudinarii, cynanche malignae maxime obnoxii sunt; cynanche tonsillari, homines validi et torosi. Maligna frequentissime per autumnum grassatur,

fatur, admodum contagiosa, tonsillaris maxime vere infestat, contagione nunquam sese diffundens, sed a frigore semper originem habens. Utraeque, rigoribus, et aliis pyrexiae signis, incipiunt; caeterum maligna, dolore capitis acuto, nausea, vomitu, et diarrhoea, frequentius stipatur. In maligna, arteriarum ictus parvuli, debiles et instabiles sunt; in tonsillari, validi, duri. In illa, guttur leviuscule tantum, in hac acutissime dolet. Siquando venesectio fiat, sanguis in tonsillari superficiem coriaceam albam ostendit, in maligna nunquam. Virium prostratio, oppressio in praecordiis, et anxietas febrilis maxima, Cynanchem malignam nunquam non comitantur.

Maculae quae in faucibus conspiciuntur, diagnosin certam non praebent, quoniam in cynanche tonsillari aliquando occurrunt; sed si eruptio scarlatina eodem tempore adfit, diagnosin clarissimam habemus. Epidemici

B grassantis

10 DE CYNANCHE MALIGNA.

graffantis naturae attentionem etiam detur oportet.

Morbus de quo tractatur, a cynanche tracheali distinguatur, signis, quae in definitione cel. CULLENTI annotantur, scil. respiratione difficili, inspiratione strepente, voce rauca, tussi clangosa, tumore fere nullo in faucibus apparente, ulcerationibus nunquam.

Aliquando cynanche maligna, trachealem gignit; tunc diagnoscantur opus non est.

Aphthae infantium ad linguae margines primum apparent, et demum labia, gingivos totumque os internum occupant, ideoque maculis quae in cynanche maligna conspiciuntur, confundi non possunt.

Anne cynanche maligna et scarlatina morbi ejusdem generis sint? Cel. SYDENHAM,
scarlatinam

scarlatinam epidemicam, nulla faucium affectione stipatam describit; sed varietatem scarlatinam inter et cynanchen malignam, a constitutione aegroti, fortasse aëris, pendere, observationibus medicorum, quibus maxima danda fides, me iudice, probatur. Hac opinione certior sum, quoniam nonnulli affectionem faucium solam, nonnulli eruptionem ut a SYDENHAM descriptam, alii scarlatinam cynanchicam, eodem epidemico, habent. Scarlatina, procul dubio, plerumque sine periculo est, dum cynanche maligna, signa multo graviora, et saepe finem lethalem habet: sed hoc etiam in variolis videmus; nam variolas discretas morbum omnino levem esse, confluentes autem semper maximo periculo stipari, experientia satis superque testatur. Hae tamen, pro varietatibus solummodo ejusdem generis habentur. Notatu dignum est, cynanchen simplicem, ab aegrotto scarlatina cynanchica laborante, originem nonnunquam habere.

bere. Hujusmodi exemplum a cel. GREGORIO nostro in praelectionibus clinicis, datur.

CAUSÆ REMOTÆ.

INTER has omnia quae corpus debilitant, et partes solidas laxas reddant, habenda sunt; scil.

Imo, Vita sedentaria, qua nihil ad debilitatem inducendam certius valet. Van SWIETEN de exercitatione loquens, his verbis utitur:
 “ Dum duro labore victum sibi et suis comparat rusticus, quam firma habet omnia,
 “ quam robusta! Omnes aëris injurias spernit, durissimos devorans cibos digerit perfectissime. Otio et luxu perditus homo,
 “ quam debilis, quam misere vivit! Minimum aëris ambientis mutationem sentit illico; et
 “ millenis

“ millenis gulae irritamentis, quae fatietas
“ non fames invenit, vix potest languentem
“ excitare ventriculum.”

2do, Morbi precedentes, qui debilitatem relinquerint.

3tio, Cibus parcus, vel minus nutriens.

4to, Pathemata animi deprimentia.

5to, Evacuationes profusae; in feminis etiam amenorrhoea. His addentur defatigatio; coelum frigidum humidum; liquorum spirituosorum, et narcoticorum usus immodicus, &c. &c.

Hae causae corpus ad morbum proclive solummodo reddunt; ad morbum formandum causa excitans adhibeatur oportet. Haec causa est contagio specifica, ex corpore alicu-

jus jam morbo laborantis in plerisque omnibus exemplis originem habens.

Hujus contagionis natura, et modus quo agit, in symptomatis morbi producendis, tanta caligine obducta sunt, ut ea nunquam, me judice, perspicere, acies humana potuerit; nihil ergo, de causa proxima dicere possumus.

PROGNOSIS.

CYNANCHE maligna semper periculosa est. Prognosis, in quovis exemplo, a conditione faucium, pyrexia et debilitate quae comitantur accurate consideratis institui debet.

Pulsus valde debiles, celeres, et abnormes, ulcera livescentia, vel nigrescentia, cum halitu foede olente, signa semper pessima habenda

da sunt. Fluxus sanguinis profusi, etiam, periculum nunquam non declarant.

Diarrhoea, per morbi decursum, aegrotum vexans, eventum fatalem fere semper auguratur. Si quando cynanche trachealis superveniat, et respirationis laesae symptomata appareant, aegrotus ad sanitatem rarissime perducitur. Quo citius eruptio apparet, eo majus periculum est. Si aegrotus a morbi initio, delirio afficiatur, eventus lethalis metuendus est. E contrario, ulcerum species mitior, pyrexia lenior, pulsus fortiores, efflorescentiae die tertio, vel quarto, primum apparentes, triduum vel quatrimum permanentes, et cum cuticulae desquamatione, et pyrexiae remissione abeuntes, laetiores promittunt finem. Diarrhoea et vomitus cessantia, eruptione facta, morbum levem ostendunt. Observatu dignum est, aliquando cynanchen malignam, licet primo, vel ad desquamationem usque, benigna
viva

vifa fit, improvifo in pejus ruere. Prognofis igitur, femper cautiffime inffitui debet.

RATIO MEDENDI.

In varietate hujus morbi, fcarlatina proprie dicta, ubi nulla faucium affectio apparet, auxilio medici vix opus eft. Cel. CULLENUS de ea loquens haec verba habet.

“ When the fcarlet fever appears without
 “ any affection of the throat, the treatment
 “ of it is very fimple, and is delivered by
 “ Dr SYDENHAM. An antiphlogiftic regi-
 “ men is commonly all that is requifite; a-
 “ voiding on the one hand the application
 “ of cold air, and on the other any increafe
 “ of external heat.”

In

In varietate ulcerationibus faucium stipata, res ita non se habet. Aliquando sub morbi initium, diathesis inflammatoriae nonnihil occurrit, et regimine antiphlogistico moderandum est. “Regimen illud (ait cel. GREGORIUS) quo conamur irritationes omnes, quantum fieri possit, amovere, in febribus aliisque morbis acutis, maxime necessarium est; et non inepte apud medicos, regimen antiphlogisticum vocatur.”

Sanguinis missio et alvi purgatio huic consilio inserviunt; sed utilitatem eorum in cynanche maligna, experientia nequaquam confirmavit. Illa in cynanche tonsillari, morbo semper inflammatorio, vix unquam necessaria est; multo minus in cynanche maligna, in qua, tanta ad debilitatem proclivitas apparet; haec eadem ob rationes, semper evitanda est. Si alvus dure scat, enemata utenda sunt.

Quando virium prostratio magna, et summa functionum debilitas, hunc morbum comitantur, quod ab ipso morbi initio, frequenter accidit, duas solummodo curandi indicationes habemus, scil.

1mo, Vires aegroti sustentare aut restituere; et

2do, Quibusdam symptomatis gravioribus obviam ire.

Primam sub indicationem, vino et cortici Peruviano, conjunctim aut separatim adhibitis, summa detur fides. Cortex in substantia, a morbi initio, per totum ejus decursum adhibeatur oportet. Nimis libere vix dari potest. Si nausea et vomitus urgeant, adeo ut cortex rejiciatur, vel si quando infantes nullam ejus formam sumere possint, enemata, quantitatem exiguam continentia, per intervalla

valla brevia injiciantur. Vinum Lusitanicum, et id *Claret* dictum, omnibus stimulantibus anteponenda sunt, utpote quae palato et ventriculo jucunda sint.

Vinum aqua dilutum, pro potu communi dari potest. Quantitas, aetate, et constitutione aegroti et symptomatum violentia pendere debet,

Secundam sub indicationem, scil. *Symptomatis quibusdam gravioribus obviam ire*; imprimis, affectioni faucium attentionem dare opus est. Cum materia acris, ab ulcusculis effusa, in ventriculum recepta, vomitum et diarrhoeam moverit, fauces gargarismatis saepius abluantur. Diversa commendata sunt gargarismata, scil. decoctum corticis Peruviani, acido vitriolico, vel acido muriatico acidulatum, tinctura rosarum, &c. &c.

Quando

Quando tumor faucium et inflammatio notabiliores sint, vesicatorium, faucibus externis vel nuchae applicatum, a multis commendatur; sed remedium valde ambiguum mihi apparet.

Si nausea sub morbi initium aegrotum urgeat, ipecacuanha, vel potius, stibium tartarifatum, pro emetico detur oportet.

Ad diarrhoeam sistendam, extractum catechu, potio cretacea, gummi kino, &c. praecipue opium, optime respondent.

FINIS.